



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XV. De Sagittariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

tentia, tum quia sic expresse præcipit Rituale Romanum, iussu Pauli V. editum, *Rubrica de exequiis*, hisce verbis: *Negatur ecclesiastica sepultura decedentibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa penitentia*. Secus est de decedentibus prius post unum alteri unum diem, *Dian. p. 11. tr. 6. resol. 26. v. duellum*. Caraffa de duello, *tr. 2. s. 3. q. 19. n. 9*. Portel. & alii citati à Reiffenst. *l. c.* eo quòd, licet talis ex duello decedat, non tamen censeatur decedere in duello.

Quest. 274. Quæ pœna specialiter statuta Clericis duellantibus?

Resp. Clerico tam provocanti ad duellum, quam oblato acceptanti præter pœnas communes illi cum Laicis duellantibus, exceptâ fortè privatione sepulturæ ecclesiasticæ, statuitur depositio ab officio & beneficio, per *c. 1. h. t.* quod ipsum tamen non intelligendum de rigore & propriè dicta depositione, (utpote in qua Episcopus nunquam potest, Papa non nisi rarissimè solet dispensare, & tamen in *cit. c.* dicitur, Episcopum posse cum eo

dispensare) sed de suspensione, imò nec ipso jure suspensus, sed per sententiam suspendendus, cum *cit. c.* dicatur esse deponendus, *Suar. de cens. d. 31. s. 4. n. 48*. Sanch. *L. 2. mor. c. 29. n. 18*. Pirh. *h. t. n. 5*. neque hæc pœna incurritur propter solam provocationem aut acceptationem, sed requiritur, ut ad realem pugnam sit deventum, *Suar. Sanch. Pirh. l. cit.* Arg. *cit. c. 1.* ubi dicitur: *Sive victor, sive victus fuerit*. Neque etiam deponendus aut suspendendus, si pugnaverit coactus ob necessariam sui defensionem, cum etiam licitum sit illi suum aggressorem occidere, quod ipsum Pirh. *l. c.* cum Abb. in *cit. c. mor. 2.* quòd ad duellum offerendum & acceptandum, extendit ad necessitatem, etsi ea absolute sit evitabilis. Potest quoque Episcopus juxta *cit. c.* in dictis pœnis dispensare cum Clerico duellante, (intellige propriâ manu, vel per substitutum sibi) modò ex duello subsecuta non fuerit mors, aut membrorum mutilatio, quia tunc incurritur irregularitas, ut constat ex *c. 2. h. t.* in qua solus Papa dispensare potest.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

Quest. 275. Quinam intelligantur hic nomine Sagittariorum, & quid jura circa illos statuant?

1. **R**esp. Ad primum: Per Sagittarios & Ballistarios hic intelliguntur, qui in sagittis jaculandis ex arcubus (intelligi videtur unâ vice pluribus) vel ex ballistis seu catapultis, (quarum olim frequens usus erat) faxis, quibus hodie dum substituta sunt tormenta bellica & mortaria, ad ejaculandos globos ferreos, aut pilas lapideas gravioris ponderis, pro deieciendis mœnibus, aut sternendis hostium agminibus in acie constitutis) peritiam seu artem exercent, ut cum Gonzal. in *c. unic. h. t. n. 3.* AA. alii.

2. Resp. Ad secundum: Exercitium seu professionem hujus artis mortiferæ & odibilis, ut vocatur *cit. c. unic.* quia multiplicatis unâ vice homicidiis causam præbere solet, quamvis videatur universaliter prohibitum, *cit. c.* probabilis tamen cen-

setur ab AA. non nisi contra Christianos & Catholicos pro Saracenis, aliisque infidelibus prohibitum sub anathemate per sententiam infligendo, quemadmodum sub eadem pœna, ipso jure tamen lata, & fedi Apostolicæ reservata prohibentur, ad infideles arma deferri, per *c. ita quorundam. & c. quod olim de Judeis*. & ita tenent Gonz. *n. 4.* Barbos. *n. 3.* Pirh. & alii. *h. t.* non prohiberi verò Catholicis in bello justo contra Catholicos, docent cum Gl. in *cit. c. v. artem*. Barb. Honor. & plerique alii, & constat quotidianâ praxi, & ea ratione, quòd nihil referat, quibuscunque armis & modo (puta apertè vel ex insidiis) justum bellum gerens pugnet, modò Sagittarii vel Ballistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones, aliisque artes, ad certius, forius aut longius hosti nocendum, quod præcipue cavet *cit. c.* opinantur Barb. *ibi num. 2.* & apud Wiestn. *ibid. n. 3.* Deltio de *inquisit. magic. L. 3. c. 1. q. 8. s. 4.*

TITULUS XVI.

De Adulterio & Stupro.

CAPUT I.

De Adulterio.

Quest. 276. Adulterium improprie & proprie quid sit & quodplex?

1. **R**esp. Primò: Impropiè tale & largius fumendo est omnis copula carnalis extra statum matrimonii habita, *Can. nemo. 32. q. 4.* unde *Leg. Julia*, Adulterium & stuprum promiscuè sumuntur, *L. inter stuprum. ff. de V. S.* Propriè verò Adulterium, quasi ad alienum thorum secessio, ut Host. in *sum. h. t. n. 1.* Sylv. v. *adulterium. n. 1.* definiti potest, *R. P. Leur. jur. Can. Lib. V.*

quòd sit carnalis ad alienam vi conjugii non suam accessio, cumque ea conjunctio, quâ fides & thorus conjugal is violatur. Unde malitiam duplicem continet, unam luxuriæ, quia est concubitus viri cum femina extra conjugium, alteram injustitiæ, quia est concubitus cum conjugè alieno vel aliena, *D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 8.* Azor. *p. 3. inst. c. 7. in pr.* cum communi; quæ posterior malitia non tollitur per consensum alterius conjugis, cum adhuc inferatur injuria Deo Authori naturæ, qui vinculo indissolubili utrumque conjugem sibi invicem

U 2

altrin-